



Ld
CAROLI GOTTLIEB KNORRII

ICTI

POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A
CONSILIIS INTIMIS, REGIAE FRIDERICIANAE
DIRECTORIS ET FACULTATIS IURIDICAE
ORDINARII

ELEMENTA
ARTIS RELATORIAE

IN VSVM

AUDITORVM

EVVLGATA.



Ko 1837

HALAE SALICAE

YPIS IOANNIS FRIDERIG

M D C C L I I I

11. 4. 06.



171

P R A E F A T I O.

Triginta fere annorum spatum circumactum est, ex quo, indulgentia regali, actis referendis sententiisque concipiendis in ordine luteconsultorum operam dare coepi, solus superstes ex iis, quos tum natus fui collegas. Nullis ab hoc tempore pepercit laboribus, nihilque feci reliqui, ut muneri demandato satisfacrem, probe gnarus, miserrima esse litigantium fata, si acta in eorum manus incident, qui, laboris impatientes, in illis legendis compendia querunt, ex ultimoque volumine, vel ultimis positionibus peti posse causae decisionem existimant, sicque, hac cautione fallaci seducti, vel ea decidunt, de quibus nulla lis est, vel contra acta et probata pronunciant, vel quedam puncta controvrsa plane omittunt et negligunt, vel alio modo sententiam ferunt mutilam atque mancam. Quo ipso litem suam faciunt, laesisque tenentur ad indemnitatē praestandam. Rechte omnino rationes subducit LEYSERVS (a), interrogatur subinde, inquiens, *anon hi, qui ex consiliis sententiisque collegiorum iuridicorum indoce, imperite, imprudenter, vel negligenter exaratis damnum passi sunt, actionem ad eius restitutionem aduersus consiliorum et sententiarum huiusmodi autores habent. Et habent profecto. Quamuis enim non iudices, sed consiliarii sint atque adeo actio de syndicatu contra illos institui non possit, tamen*

con-

(a) Spec. DCLXXX. med. 29. et 30.

P R A E F A T I O.

consilium imprudens ab eo , qui artem profitetur ,
profectum , obligatorium est (b) , et , si vel ma-
xime actio de syndicatu non suppetat , actio tamen
in factum ex lege aquilia locum habebit .

Sed redeo ad id , cuius caussa calamum
prehendi . Auditoribus scilicet destinavi libel-
lum , iisque solis monstraui viam , qua illis ince-
dendum sit , si ea discere velint , quæ ignorare
non decet illos , quibus olim ambigua litium fa-
ta credenda sunt . Sola experientia duce , lon-
gissimo rerum usu probata , scripsi , licet me non
pœnitentia olei in legendis aliorum lucubrationibus
eo tempore consumti , quo hunc lapidem vol-
vere cœpi . Inprimis vero valde fuerunt ad
palatum , quæ de methodo non coacta , sed li-
beriori , pro ratione caussarum et actorum , tra-
didit LVDOLFVS (c) . Quod autem latinum
idioma elegerim , ideo feci , quia illorum tan-
tum gratia exaraui libellum , qui eiusdem periti
sunt . Interea nondum deposui consilium , il-
lum euulgandi in vernacula , filo prolixiori , quam
primum mihi ab aliis negotiis grauioribus et con-
catenatis tantum otii supererit . Ceterum , ut
opera mea utilis et fructuosa sit Auditoribus sua-
vissimis , exopto . Scrib . in REGIA FRIDERI-
CIANA die III . Martii cœloccelli III .

CAPVT

(b) l. c. med. 36.

(c) Symphor. Consult. et Dec. for. T. I. Praef. in f.



CAPVT I.
DE
LECTIONE ACTORVM
IUDICIALIVM.

§. I.

Acta judicialia sunt complexus seu collectio omnium eorum, quæ in hac vel illa cauſa acta sunt in iudicio. Quæ inde in quibusdam iudiciis, præcipue Westphalicis, acta et actitata inscribi solent.

§. II.

Lectione vero actorum in cursoriam, seu generalem et specialem diuiditur. Illa est, si litteræ iudicis sententiam rogantis, index seu conspectus actorum, vel protocollum, isdem præmissum aut annexum, legitur. Ex iis enim cognosci potest, quæ hactenus in cauſa acta et in præsentiarum decidenda sunt.

§. III.

Quod si desit index, aut protocollum, referens rubricas scriptorum a litigantibus oblato-

Arum

2 CAPVT I. DE LECTIONE

rum eorumque petita, decreta et protocolla iudicis, sententias in caussa lata, quarum indicem plerumque rubrum actorum continet, rationesque decidendi, si in actis reperiuntur, legere potest, donec ad illum punctum perueniat, cuius decisio petitur. Sic enim perspicere poterit, an sententia definitiva, an vero interlocutoria ferenda sit. Quandoque etiam litteris iudicis acta transmittentis indicatur, quæ puncta sint decidenda et ubi illa in actis inueniantur. Quo casu referens lectione reliquorum actorum supersedere poterit, nisi quatenus partes ad illa prouocarunt, vel in iis quædam occurruunt ad decisionem quæstionis praesentis facientia.

§. IV.

Sed si litteræ iudicis sint generales, suadent nonnulli, ut referens acta more ebraico, id est ex parte posteriori, legere incipiat, cum ex protocollo inrotulationis, vel ultimis positionibus, perspiciatur, ad quid dirigenda sit caussæ decisio. Quod tamen fallit, si 1) in protocollo inrotulationis nihil de punctis decidendis reperitur; 2) in ultimis positionibus vel plane non, vel non satis distincte indicarunt litigantes, quæ puncta decidenda sint, uno forte interlocutoriam, altero definitiuam sententiam flagitante. Quod si acta adhibenda adiecta, in illis ea saltem euolui et legi debent, ad quæ partes prouocarunt, vel quæ alias ad dirimendam caussam faciunt.

§. V.

§. V.

In primis vero referens in cursoria actorum legione attendere debet, an adsit res iudicata? et super quibus punctis? an puncta incidentia iam decisa, an vero ad decisionem causae principalis reseruata fuerint? An quid ex officio suppiendum sit? veluti si desit legitimatio siue ad caussam, siue ad iudicium.

§. VI.

Quod si acta simul ad Facultatem medicam transmissa, eorum iudicium prius exspectandum est, quam se ad legiōnē actorum accingat. Eo enim perfecto intelligere potest, quid sentendum sit, ex iudicio peritorum in arte, de casu oblatō, veluti an vulnus per se, an per accidens lethale fuerit.

§. VII.

Vt autem referens hac opera rite defungi queat, ordinem processus iudicarii probe intelligere et scire debet, quo processus genere causa sit ventilata, an ordinario, an summario, eoque vel in specie tali, vel executivo, vel cambiali. Quod si enim ignoret ordinem in cognitione et decisione caussarum obseruandum, sicut cœcūs de colore iudicabit de iis, quæ in actis occurunt, nullumque ei vsum præstabit cursoria eorumdem legio.

A 2

§. VIII.

§. VIII.

Finita lectione cursoria referens ad specialem progreedi debet, que in vniuersalem et particularem dispescitur. Illa vocatur, quando integra acta legenda sunt, hæc vero, quando quædam eorum pars legi debet. Postquam enim ex cursoria lectione intellexit, super quo pronunciandum sit, facile iudicare poterit, an integra acta, an vero tantum partem eorumdem legere teneatur.

§. IX.

Quod si itaque animaduertat non factum, sed ius controuersum esse, veluti an transactio rescindi possit ob læsionem enormem? an actio ex retractu competit contra conductorem prædii auiti? etiam, sine lectione positionum, scire debet, secundum quem lis danda sit. Quarum tamen lectio tunc necessaria erit, si rationes expeditæ, cum confutanda sint eius partis argumenta, contra quam pronunciatur. Quoniam vero sæpe iura singularia in hac vel illa prouincia obtinent, peccant iudices, si eorum extractum actis transmissis adiicere negligunt.

§. X.

Sed si factum controuersum et litis contestatio eaque vel pura, vel eventualis secuta sit, oppositæque fuerint exceptiones dilatoria et peremptoria, singulæ partium positiones legi atque perpendi debent. Nam 1) super exceptionibus dilata-

dilatoriis, siue fori declinatoriis, siue in specie sic dictis, pronunciandum est; 2) examinanda litis contestatio, an rite facta sit; 3) non semper actori, sed quandoque etiam reo iniungi debet probatio, si scilicet fundamentum agendi confessus fuerit, aut pro aetore milititer presumtio, vel vti libertatis in actione negatoria; 4) haud nocet reo litis contestatio conditionata, sed nihilo minus ab actione absolui debet, si liquidæ sint exceptions, quibus vtitur ad impediendum litis ingressum; denique 5) in ipsa saepe sententia perspicue exprimendum est, cuius probatio alterutri incumbat. De quibus omnibus referens iudicare nequit, nisi studiose perleclis vtriusque partis positionibus.

§. XI.

Si super probatione et reprobatione feren-
da est sententia, præter libellum, litis contesta-
tionem reliquaque positiones, legi debent 1) te-
stium depositiones; 2) documenta aliaque ad
probandum adlata, veluti protocollum ocularis
inspectionis; 3) deductiones partium vel ad sal-
vandam, vel ad impugnandam probationem scri-
ptæ. Non enim de argumentis, pro vtroque
litigante facientibus, recte iudicium ferre poter-
rit referens, nisi iisdem perleclis. Vbi tamen
simul probe attendere tenetur, an aliquid desit,
quod ad substantiam processus pertinet, veluti
si testes iurisiurandi vinculo non constricli, aut
documenta haud recognita sint. Tunc enim in-

A 3 ter-

terlocutio erit necessaria, licet a iudice et partibus sententia definitiva exspectetur.

§. XII.

Deinde saepe accidit, ut saltem super puncto incidente cognoscendum sit, veluti an probatio vel reprobatio sit deserta? legitimatio rite facta? testes sint inhabiles? articuli pertinentes? documenta recognoscenda, aut edenda? Tunc enim tantum positiones illum concernentes perlegendæ sunt. Quæ inde dicitur lectio particularis. Nam, cum de reliquis lis non sit, eorumdem lectio esset frustranea. Quod tamen fallit, si 1) dispersa sint in actis ad decisionem punctorum incidentium facientia; 2) eorum decisio ad sententiam definitiavam expresse vel tacite reiecta fuerit; 3) instituenda sit relatio, sive oralis sive scripta, quia statum caussæ seu historiam processus proponere nequit, nisi integra acta perlegit.

§. XIII.

Si pars vtraque, vel alterutra remediis suspensiis contra sententiam sua sit, referens primo loco ad id respicere tenetur, an sint admissibilia, et fatalia rite obseruata. Deinde legere potest sententiam grauante rationesque decidendi et grauamina, quæque ad ea reposita pars aduersa, cum hac ratione statim intelligere possit, ex quibus caussis eam reformandam esse existimet pars grauata. Quoniam vero hisce perlegitis

lectis de ipsis grauaminum fundamentis recte iudicare nequit, pro re nata vel integra acta, vel faltem ea, quæ grauamina concernunt, legere deberet. Quod in primis tunc accidit, si tantum quedam puncta adhuc in lite versentur, aut remedium suspensuum interpositum punctum incidentem concernat.

§. XIV.

Acta concursus in generalia et specialia dividuntur. Illa totum processum eiusque formam, hæc iura singulorum creditorum concernunt. Quæ si separatis voluminibus continentur, non difficilis erit lectio. Ex volumine enim generali intelligitur, an obseruata sint, quæ leges requirunt, ad processum rite formandum, veluti an editis vocati sint creditores ignoti iisque dies dictus ad liquidanda credita? Nulla autem facta separatione labor erit difficilior, quia mox ea, quæ ad formam totius processus, mox illa, quæ ad iura singulorum creditorum pertinent, se letori offerunt. Quæ itaque sollicite sunt separanda et legendo in chartam coniicienda, ut cognoscere possit referens, an interlocutione quædam opus sit, nec ne?

§. XV.

Principue vero euoluendum et perlegendum est protocollum liquidationis, quippe ex quo patet, quæ sint credita diuersaque creditorum iura. Deinde legi et perpendi debent, quæ

A 4

cre-

creditores adduxerunt ad probanda nomina, et quæ iisdem oppoſuit contradictor seu litis cura-
tor. Quod si etiam iura prioritatis deduxerunt, referentis est, ut exacte fundamenta prioritatis examinet, eaque, secundum ordinem classium ge-
neralium, in chartam coniiciat simulque adnotet, an forte hoc vel illud creditum interlocutionem requirat, et sub conditione, si ei satisfactum fuerit, loco competente collocandum sit. Tamen si vero creditores deductionem prioritatis omiſserint, tamen lectoris erit, ut curate perpendat, ad quam classem singulorum credita pertineant.

§. XVI.

Patet inde, morem illum ebraicum acta le-
gendi in processu concursus exulare. Licet enim
referens non necesse habeat, ut acta generalia in-
tegra legat; tamen, illa percurrendo, attendere
debet, an omnia rite obſeruata sint, quæ ad for-
matum processus requiruntur. Econtra acta spe-
cialia integra legi debent, quia referens alia ra-
tione de iuribus creditorum recte iudicare nequit.
Nisi forte lis, super puncto incidente orta, di-
rimenda sit, veluti an, aut quomodo documen-
tum recognoscendum? an rite facta sit recogni-
tio? an contradictori iusurandum deferri possit?
an probatio sit deserta? Quod tamen in proces-
su concursus rarius contingere solet, cum in ipsa
ſententia classificatoria creditores sub conditione,
si huic vel illi ſatisficerint locentur, aut ſuper
punctis adhuc indecisis simul probatio iniungatur.

§. XVII.

§. XVII.

Causæ criminales aguntur vel processu inquisitorio, vel accusatorio. Si prius, ad id respiendum est 1) quid mouerit iudicem ad instituendam inquisitionem; 2) legenda sunt protocolla, quæ corpus delicti, id est veritatem criminis commissi concernunt, simulque ad ea attendi debet, quæ de delictis facti transeuntis et permanentis docentur in iure criminali; 3) legenda est responsio inquisiti ad articulos inquisitoriales, quippe ex qua intelligitur, quæ incitatus quæque confessus fuerit inquisitus. Et cum 4) inquisito negante, iudicis sit, ut ad probationem progrediatur, lectori incumbit, ut deposiciones testium ad articulos probatoriales perlegat simulque perpendat, quæ fides ipsis tribuenda? an crimen plene probatum sit, an non? 5) si confrontatio facta fuerit, necesse est, ut cum responsione inquisiti conferantur effata testium, vel quæ eiusdem criminis rei confessi sunt, vel responderunt testes sibimet contrarii, utpote quarum dissensiones, instituta confrontatione, in unam consonantiam redigere allaborauit iudex; 6) momenta defensionis legi et ponderari debent. Si delicta sunt leviora summaria cognitio sufficit.

§. XVIII.

Quod si processus fuerit accusatorius integræ actæ legenda sunt. Ex libello enim accusatorio cognoscitur, cuius quis criminis reus postulatus

stulatus sit. Responsio seu litis contestatio ostendit, quæ confessus quæque inficiatus fuerit, et quas exceptiones, vel ad amoliendam, vel ad mitigandam poenam, opposuerit. Ex probatione accusatoris et reprobatione accusati intelligitur, quid ille ad probandum crimen, hic ad elidendam probationem docendasque exceptiones attulerit. Nisi confessus sit crimen et probationem exceptionum, veluti in homicidio moderaminis inculpatæ tutelæ, suscepere. Quippe quo casu accusatori reprobatio competit. Deinde legenda sunt, quæ vterque vel ad probationem saluandam, vel elidendam in medium tulit.

§. XIX.

Sed si accusatus remedii suspensiis contra sententiam usus sit, referentis est, ut cum cura legat, quæ adduxit, ad ostendendum, sententiam iniquitate laborare, forte, quod crimini conuictus non sit, aut accusatoris probatio haud sufficiat ad torturam infligendam, aut reprobando elisa sit, aut adsint rationes, quæ iudicem mouere possint, ad mitiorem poenam irrogandam. De quibus omnibus iudicium ferre nequit referens, nisi studiose perlectis vtriusque partis probationibus.

§. XX.

Ceterum etiam in processu criminali contingere potest, ut super punto saltem incidente sententia ferenda sit, veluti si fugitiuus petat salvum

vum conda^{ct}um, circa corpus delicti adhuc aliquid desideretur, reus nouas innocentiae probations offerat, testes contra ipsum productos admittere nolit, rogetur defensio pro auertenda confrontatione. Tunc enim lectio ad eas positiones dirigenda est, quæ punctum dirimendum concernunt.

CAPVT II.

DE

EXTRACTV ACTORVM
IUDICIALIVM.

§. I.

Extractus actorum est compendiosa enarratio eorum, quæ in actis continentur, et dividitur in priuatum et iudiciale.

§. II.

Priuatus solius referentis gratia conficitur, ut memoriae succurratur, si oretenus facienda est relatio. Hinc merito eius arbitrio relinquatur, qua methodo illum conscribere velit. Optime tamen facit, si ea saltē excerptat, quæ in perfectione actorum inter partes controueria esse deprehendit, et si plura puncta decidenda sunt, ea, numeris distincta, ita in chartam coniiciat, ut in uno latere, quæ v. g. actor, in altero latere vero, quæ reus pro se adduxit, scribat, et deinde votum subiiciat.

Veluti

Veluti in actione locati:

1. actor petit a reo re- 1. reus damna quidem
stitutionem damnorum fatetur, sed ea sua cul-
culpa datorum. pa data esse negat.

Culpa ab actore probanda est.

2. Impensas factas non 2. Negat reus eas esse
necessarias, aut utiles, voluptuarias et prouoc-
fed voluptuarias esse di- cat ad ocularem inspe-
cit actor. ctionem.

Fiat inspectio ocularis.

Quod etiam tunc obseruari poterit, si acta con-
cursus, aut criminalia referenda sunt. Quamuis
consultius sit, si extractus actorum concursus se-
cundum ordinem classium generalium conficiatur
(Cap. I. §. XV.).

§. III.

Extractus iudicialis dividitur in solemnum
et minus solemnum.

§. IV.

Solemnis est, quando integra acta in com-
pendio, allegatis numeris vel foliis, enarrantur.
Igitur breuitati et perspicuitati studendum cauen-
dumque est, ne ex voluminibus vel volumine
actorum nouum conscribatur. Veluti:

Extractus Actorum in causa Titii contra
Meium punto venditi.

Titius ideo contra Meium fol. 1. actionem
instituit, quod ei vendiderit equum pro quinde-
cim

cim aureis, et cum traditione facta, pretium consequi nequeat, petit, vt reus ad eius solutionem, cum interesse moræ et impensis, adiungatur.

Postquam iudex reo fol. 4. libellum transmisit eumque citavit, ad tentandam amicabilem compositionem et eventualiter ad respondendum libello, in termino vero fol. 5. concordia inter partes obtineri non potuerit, reusque fol. 7 item pure contestatus sit, et adsimauerit quidem 1) quod actor ei tradiderit equum venditum, negauerit vero 2) quod conuenerint de pretio quindecim aureorum opposueritque exceptionem equi pituita laborantis adeoque vitiosi, et pluris petitionis ideo, quod saltē conuenerint de pretio duodecim aureorum; actor fol. 10. accepit litis contestationem, n̄egauitque equum suisle pituitosum. Reus duplicando fol. 20. postulauit probationem fundamenti agendi seque ad probandas exceptions obtulit; iudex fol. 29. terminum publicandi decreti ad diem — — 175 — præfixit, in eoque fol. 30. pronunciauit, quod, cum reus negauerit fundamentum actionis, actor illud, salua reprobatione, probare teneatur.

Actor, satisfacturus sententiæ, obtulit die — — 175 — fol. 31. articulos probatoriales, adiecis nominibus trium testium documentisque sub A et B atque petiit, vt inspiciatur equus per duos in arte peritos.

Documentum sub A est epistola a reo ad actorem scripta, in qua ratione debiti quindecim aureo-

aureorum quatuordecim dierum inducias petiit. Documentum sub B est itidem epistola, in qua fatetur reus, sibi placere equum venditum.

Fol. 39. iudex præfinuit terminum ad producendum testes eosque ad iurandum et depoñendum; productum vero ad audiendum iurari, danda, si velit, interrogatoria et recognoscenda documenta citavit simulque decrevit, ut per duos mangones, Paulum et Petrum, inspectio equi fieri debeat.

In termino iudex fol. 41. testes ab auctore, in præsentia rei, productos iureiurando constringit, reus vero documentum sub B productum, saluis exceptionibus, recognouit, et ad iuratam diffessionem documenti sub A se obtulit.

Examinatis testibus fol. 44. iudex fol. 47. super rite facta recognitione documenti sub B pronunciauit; mangones vero, Paulus et Petrus, facta equi inspectione, eum pituitosum vitiumque vetus esse adfirmarunt. Fol. 48. iudex diem dixit ad iurato diffitendum documentum sub A. Quod fol. 50. fecit reus, auctore præsente. Absoluta probatione auctor petiit publicationem rotuli.

Reus fol. 51. protestatione contra publicationem rotuli interposita, se obtulit ad reprobationem.

Suspensu iraque die — — 175 — a iudice fol. 53. termino publicationis, datisque quatuor hebdomadum induciis ad peragendam reprobationem, reus die — — 175 — exhibuit arti-

articulos reprobatoriales, additis nominibus duorum testium et documento sub ☉, in quo testatur faber ferrarius Vulcanus, equum esse mucosum illudque vitium impedire usum equi.

Iudex fol. 55. actori communicavit articulos constitutique terminum ad producendum testes et recognoscendum documentum sub ☉, testes autem fol. 56. vocavit ad iurandum et depoñendum. Documento fol. 58. ab auctore, saluis exceptionibus, recognito testibusque examinatis, index fol. 60. super rite facta recognitione documenti pronuntiauit actorique reseruauit exceptiones contra illud competentes. Fol. 65. petiit actor publicationem rotulorum, quos iudex in termino fol. 67. præsinito fol. 68. publicauit.

In rotulo testium, quos actor produxit, fol. 70. ad 80. test. 1. 2. et 3. ad articulum 3. et 4. deponunt, se adfuisse, cum actor reo equum vendidit. Ad art. 5. test. 2. et 3. respondent, se audiuisse ex ore rei, quod quindecim aureos pro equo vendito soluere promiserit, licet ab initio saltem duodecim aureos dare voluerit, test. 1. vero dicit, se non satis percepisse, an quindecim, an vero duodecim aureorum pretium fuerit, cum vtriusque summæ mentionem fieri audiuerit.

In rotulo testium a reo productorum a fol. 82. ad 94. test. 1. et 2. ad art. 2. et 3. fatentur, contrahentes tandem conuenisse de pretio quindecim aureorum, licet emtor ab initio saltem

duo-

duodecim aureos obtulerit. Ad art 4. et 5. test.
2. et 3. deponunt, se certo adfirmare non posse,
quod equus venditus pituitosus fuerit et ad Int. 1.
vterque responderet, quod si etiam tali vitio la-
boret, tamen non iniquum videri pretium con-
ventum, et ad Int. 2. addunt rationem, quod
equus sit satis robustus et aptus ad perferendos
labores agrestes.

Fol. 96. ad 109. actor obtulit deductionem
et ostendere annis fuit, se probasse 1) reum
quindecim aureos pro equo vendito dare pro-
mississe, cum illud uno ore adfirmauerint test. 2.
et 3. ad art. 5. ipsique testes reprobatoriales ad
art. 2. et 3. 2) Intelligi ex documento sub B,
quod reus sibi placere equum confessus fuerit.
Et licet 3) reprobationem suscepere, tamen te-
stes pro actore deposuisse, et se nescire adfir-
massse, equum esse pituitosum, imo pretium con-
ventum esse iustum, si etiam tali vitio laboret.
Proinde quoque 4) attestatum fabri ferrarii sub
C et 5) testimonium mangonum, Pauli et Petri,
nullam fidem mereri, cum testes, qui contra-
rium deposuerunt, sint artis periti. Denique
6) iuramat confessionem documenti sub A con-
scientiae rei relinquendam esse, et sufficere, quod
actori nocere nequeat, cum fundamentum agen-
di alia ratione abunde probauerit. Petit itaque,
ut pronuncietur : actorem probanda probasse,
adeoque reum ad solutionem pretii quindecim
aureorum, cum usuris moræ et expensis, esse
condemmandum.

Fol.

Fol. 110. ad 120. reus obtulit deductionem contrariam, et 1) testibus ab actore producitis ideo obiecit exceptionem inhabilitatis, quod iuxta depositionem ad int. gen. 4. actor eos rogauerit, ut pro ipso testimonium dicant; 2 fabri ferrarii Vulcani attestato maiorem fidem habendam esse credidit, quam testibus vitium equi ignorantibus, eaque de causa ipsum cogi non posse, ut soluat pretium, sed potius redhibitionem ei esse permittendam, maxime cum mangones, Paulus et Petrus, quorum peritiam in arte equina nemo in dubium vocare possit, equum pituitosum renunciauerint. Et licet 3) in documento sub B sibi equum placere adsirmauerit, tamen id eo tempore factum fuisse, quo vitium adhuc ignorauerit.

Fol 122. iudex partibus litigantibus diem dixit ad inrotulandum acta, quod etiam, praesentibus partibus, factum fol. 124.

§. V.

Omitti tamen possunt in extractu ea, quæ plane nihil faciunt ad decisionem causæ, veluti si inducias petierint litigantes. Nisi lege, aut more in quibusdam iudiciis receptum sit, ut etiam hæc capita extractui inserantur,

§. VI.

Si acta concursus extrahenda sunt, primo loco ea, quæ in actis generalibus occurrunt, et deinde, quæ singulos creditores concernunt in extractum redigi debent. Veluti:

B

Vol.

Vol. Gen.

Fol. 1. Titius et Meuius producunt contra debitorem Caium ille chirographum super debito centum aureorum scriptum; hic cambium, quo se Meuius ducentos aureos debere fatetur, pertinque, termino solutionis dudum effluxo, obsignationem bonorum, præcipue mercium in taberna existentium.

Fol. 2. iudex decreuit et peregit obsignationem, cum reus se eo ipso satis suspectum reddiderit, quod fuga elapsus sit. Fol. 4. ad 36 reperitur inuentarium super bonis debitoris iudiciliter confectum. Fol. 37. continetur constitutio curatoris. Fol. 38. petit curator, ut edicto vocentur creditores ad liquidanda credita. Fol. 39. Paulus ex hypotheca iudiciali de — — 173 — quingentos taleros, fol. 40. Petrus itidem ex hypotheca iudiciali de — — 174 — ducentos taleros, fol. 41. Actius trecentos taleros ex hypotheca extrajudiciali petit. Fol. 42. Nigidius et Numerius producunt cambia, ille super quingentis, hic super ducentis aureis data. Fol. 43. institor Caii sibi salaryum trium annorum, scilicet centum et quinquaginta talerorum, deberi queritur. Fol. 44. ancillæ, Clara et Sibilla, sibi singulis annis decem taleros promissos esse, et per biennium se nullam mercedem accepisse dicunt. Fol. 46. iudex decreuit citationem edicalem in trium dominorum territoriis, quæ etiam fol. 47. reperitur. Fol. 50 — 52. conspiciuntur originalia cita-

citationum, post effluxum terminum refixa. Fol. 53. ad 59. creditores credita sua, tam quoad fortem, quam quoad usuras, professi sunt. Fol. 60. curator iudicem rogat, ut aedes debitoris hastæ publicæ subiiciat, et terminum ad vendendas auctionis lege merces aliasque res mobiles debitoris præfigat. Quod etiam fol. 61. factum. In termino licitationis fol. 62. Titius mille taleros pro ædibus debitoris nemoque maiorem summam obtulit. Fol. 63. Titius petit adiudicationem ædium terminique præfinitionem ad eam peragendam, quem fol. 65. iudex indixit. Fol. 66. emtor in termino soluit pretium et adiudicatio facta est. Fol. 67. ad 72. continetur protocollum super auctione mercium et aliarum rerum mobilium consecutum. Ex quarum venditione redacti bis mille et sex taleri, sedecim grossi et quinque obuli, quod probant rationes a curatore oblatæ fol. 73. seq.

Vol. spec. I.

Paulus fol. 1. petit in termino liquidationis ex hypotheca judiciali de 25. Maii 1735. quingen-
tos taleros et septem annorum usuras simulque
producit originale, ex eoque docet, debitorem
semisées promisisse. Fol. 3. curator agnoscit cre-
ditum, et opponit, quod saltem trium annorum
usuræ in eadem cum forte classe sint collocandæ.
Fol. 5. actor replicat, etiam reliquorum annorum
usuras eademi cum forte prærogatiua gaudere,
cum debitorem interpellauerit. Fol. 7. curator

B 2 dupli-

duplicat, quod si etiam sedula interpellatio probari posset, nullam tamen prærogatiuam inde nasci.

Vol. spec. II.

Fol. 1. vxor debitoris, Vigilantia, profiteatur dotem marito illatam octingentorum talerorum, probatque illationem per apocham mariti die 1. Aprilis 1729. scriptam, seque offert ad ius iurandum suppletorium. Fol. 3. curator quidem recognoscit apocham, sed simul vrget, quod talis apocha, in fauorem vxoris exarata, nihil probet contra creditores, et sic etiam, deficiente probatione, ius iurandum suppletorium locum habere nequeat. Vxor fol. 5. replicat, vetustatem chartæ, in qua apocha scripta, satis ostendere, illam iam datam esse tempore celebrati matrimonii, et, cum sic omnis suspicio fraudis exulet, ne quidem opus esse iure iurando suppletorio, quod tamen, si ita visum fuerit iudici, praestare parata sit. Fol. 10. seq. curator duplicat, vetustatem chartæ a fraudis suspicione non liberare apocham, cum etiam, marito ad inopiam vergente, ad decipiendos creditores, in vetusta charta scribi potuerit, et debitorem bonis lapsum talem esse, in quem eiusmodi fraudis presumtio cadat.

Ex hisce exemplis facile est ad intelligendum, qua methodo ex reliquis voluminibus specialibus extractus formari debeat.

§. VII.

§. VII.

Quod acta criminalia attinet, processus est vel accusatorius, vel inquisitorius. Si prius, extractus eadem methodo elaborandus est, quæ in caussis ciuilibus obseruatur. Si vero posterius, ita se habere potest:

Extractus Actorum inquisitionalium contra
Luciam in puncto imputati
infanticidii.

Fol. 1. nuntius iudicij denuntiat, in ædibus fabri Vulcani, et quidem in angulo stabuli cuiusdam, repertum esse infantem mortuum. Fol. 2. iudex præcepit, ut adferatur cadaver in locum iudicij, simulque medicum et chirurgum iuratū ad peragendam sectionem inuitauit. Fol. 3. ad 5. peracta fuit sectio, et testati sunt medicus et chirurgus, partum esse generis masculini, maturum et ex profusione sanguinis, propter non obligatum vmbilicum, mortuum, pulmonem etiam aquæ iniectum innatasse. Fol. 6. ad 8. reperitur attestatum medici et chirurgi eiusdem tenoris. Fol. 9. ad acta fuit notatum, famam esse, Luciam, fabri ferrarii Vulcani filiam, fuisse grauidam, et iam lecto decumbere. Fol. 10. iudex obstetricem iuratam, Martham, ad ægrotam misit, eique in mandatis dedit, ut in causam morbi inquirat. Fol. 11. retulit Martha, se paruisse mandato, et licet Lucia, quæ ei suspecta visa fuerit, visitationem permittere noluerit,

B 3

tamen

tamen illam, ea reluctante, fuisse peractam, se-
que non solum lac in mamillis, sed etiam in lo-
cis secretis indicia reperisse, ex quibus concludi
possit, Luciam ante paucos dies partum fuisse
enixam. Fol. 13. iudex iussit, vt Lucia sine mo-
ra in carcerem dederatur. Mandato fol. 14. exe-
cutioni dato, iudex fol. 15. misit duos scabinos,
cum scriba iudicij, ad eam examinandam. Rea
fol. 16. ad 20. negauit, se fuisse vnquam graui-
dam. Qua de cauſa iudex fol. 21. iussit, vt de-
novo visitetur per duas obſtetrices, Martham et
Porcillam, in praefentia medici. Sed rea, ad
declinandam nouam visitationem, fol. 22. ad 28.
faretur, se, cum fuisset sola, et aliorum auxi-
lium implorare non potuerit, partum edidisse,
in quo nulla inuenierit vitæ signa, ideoque se il-
lum linteis inuolatum, eo animo, in loco, vbi
repertus fuerit, occultasse, vt postero die terræ
mandaret. Magnum, artis ferrariæ fodalem, eam
imprægnasse, sub spe promissi matrimonii, sed
illum iam ante aliquot menses abiisse, sibique
eius patriam ignotam esse. Fol. 29. iudex citari
præcepit inquisitæ patrem, Vulcanum, et ma-
trem, Claudiam. Ille fol. 30. ad 33. deponit,
sibi nihil innotuisse de grauiditate filiæ, nec et-
iam obseruasse suspectam conuersationem cum
fodali Magno, multo minus sibi quidquam de
editione partus cognitum fuisse, donec illam,
facta visitatione, ex obſtetricie intellexerit. Fol.
34 ad 37. mater inquisitæ itidem adfirmat, se nihil
scivisse de filiæ grauiditate, vel de suspecta con-
verfa-

versatione cum Magno, vel etiam de editione partus, donec eam ex ore obstetricis percepit. Filiam semper fuisse sanam, et licet ante aliquot dies questa fuerit de obstrukione mensium, tamen talem morbum sexui muliebri esse familiarem, et se inde nihil sinistri ominari potuisse. Filiam lechulo per duos dies fuisse adfixam, sed eo die, quo crimen detectum, sibi interroganti respondisse, se in eo esse, vt lechum derelinquat. Fol. 38. et 40. ancilla Vulcani, Otrilia, deponit, sibi nec de grauiditate Luciae, nec de eius conversatione cum sodali Magno, aut editione partus quicquam esse notum, praeter id, quod, criminis detecto, ex aliis audiuerit. Fol. 41. ad 50. inquisita ad articulos interrogata fuit. Art. 4. ad 20. quidem concubitum reiteratum cum Magno, et quod sciuerit, se esse grauidam, fatetur, nec negat, quod paucis diebus ante nativitatem vitalitatem partus in utero senserit; sed art. 21. ad 36. se non meminisse dicit, quando conceperit, et tempus editionis adhuc remotum esse credidisse. Quia etiam de caussa se grauiditatem parentibus occultasse, sufficere rata, si illud fieret aliquot hebdomadas ante partum. Inde factum esse, vt, cum tempore nocturno esset sola omniumque auxilio destituta, doloribus oppressa pepererit, sequente, umbilicali neruo sua sponte rupto, nulla vita signa in infante deprehendisse. Addit art. 31. ad 49. se infantem linteis inuolutum abscondisse in angulo cuiusdam stabuli, in eadibus paternis siti, idque fecisse eo animo, vt postero die

illum in loco congruo defoderet. Denique art.
50. ad 55. se pœnitere facti responderet, et petere,
vt mitior pœna irrogetur, cum certissime credi-
derit, partum iam in vtero decessisse, et sic nul-
lum plane occidendi animum habuerit. Fol. 51.
iudex defensori, Vigilantio, ab inquisita electo,
iniungit, vt intra spatium menstruum defensio-
nem exhibeat. Cui mandato obsecutus fol. 52.
ad 69. tradidit defensionem, et pro inquisita mi-
litare existimauit, quod 1) sit primipara, et cum
2) tempus conceptionis ignorauerit, illudque ad-
huc remotum esse crediderit, ei 3) fraudi esse
nequeat, quod suam grauiditatem parentibus
non aperuerit, 4) eam solam, nihil tale cogi-
tantem, tempore nocturno opprefferint dolores
partus, et sic veniam mereri primiparam octode-
cim annorum, harum rerum plane inexpertam,
maximisque partus doloribus oppressam, si etiam
aliquid in deligatione vmbilici neglexerit, maxi-
me cum 5) confessionarii Credentii vitæ bene
actæ testimonium sub A. pro se habeat, et 6) cum
nulla vitæ signa in partu adparuerint, bona fide
crediderit, eum mortuum esse editum; et licet
7) pulmo innatauerit aquæ, tamen hoc experi-
mentum esse admodum fallax, adeoque nihil
probare contra ream, indeque 8) petit, vt, per-
pensis omnibus defensionis argumentis, pœna
extraordinaria eaque mitior ei irrogetur. Fol. 70.
testimonium Pastoris Credentii de vita inquisitæ
bene actæ, et fol. 71. protocollum inrotulationis
reperitur.

§. VIII.

§. VIII.

Extractus minus solennis dicitur, quando ea tantum extrahuntur, quæ concernunt pun-
ctum incidentem sententia definiendum, v. g. an
deserta sit reprobatio, restitutio in integrum con-
tra neglecta fatalia concedenda, litis denunciatio
admittenda, actorique vel reo responsio ad in-
teruentionem iniungenda, documenta reco-
gnoscenda? Sed in plerisque iudiciis eo etiam
casu solemnis requiritur, si super puncto inci-
dente relatio facienda est, scilicet usque ad pun-
ctum sententia decidendum.

§. IX.

Porro extractus in vniuersalem et parti-
cularem dispescitur. Ille vocatur, quando in-
tegra acta in extractum rediguntur; hic vero, si
saltem quedam pars actorum extrahitur. Quod
tunc fit, si super puncto incidente pronuncia-
dum, vel super certo actu, veluti oculari inspe-
ctione, relatio facienda est. Sed hæc diuisio cum
priore coincidit.

§. X.

Denique in multis iudiciis usū receptum
est, vt extractus relationi præmittatur, et, si ea
retenus sit, prælegatur, antequam referens se
ad illam accingat. Acta vero ipsa in medio men-
sa ponuntur, vt quilibet iudicii adsestor euolue-
re possit ea, quæ forte, dum prælegitur extra-
ctus, non satis intelligit, aut ipsi ulteriore exa-
mine digna videntur. In iudiciis tamen milita-
ribus moris est, vt integra acta prælegantur.

B 5 CAPVT

C A P V T III.

D E

RELATIONE ACTORVM
I V D I C I A L I V M.

§. I.

Relatio actorum est enarratio eorum, quæ in tuitu causæ controuersæ inter litigantes fuerunt acta et probata, adiectis rationibus dubitandi et decidendi, cum sententia. Quæ dividitur 1) in oralem, et 2) scriptam.

§. II.

Oralis est, si viua voce enarratur caussa controuersa. Vbi 1) species facti; 2) historia processus vsque ad punctum, super quo pronunciandum, præmittitur; 3) argumenta pro utroque litigante facientia exponuntur; et 4) votum adiicitur.

§. III.

Quod si plura puncta controuersa decidedasunt, singula separatim referri debent, statimque a referente, adlatis rationibus pro utraque parte militantibus, sententia dicenda est.

§. IV.

Maxime vero dirigenda relatio ad ea, quæ in facto consistunt. Nam quæ iuris sunt prolixa relatione non indigent, sed sufficit, si referens proferat argumenta, quibus suam opinionem fulciri

fulciri existimat (C. I. §. IX.). Caveat quoque, ne illa referat, quæ iam decisa sunt, cum res iudicata pro veritate accipiatur (C. I. §. V.).

§. V.

Si punctus incidens in controuersiam venit, præmittenda est breuis historia processus usque ad punctum incidentem, et, omissis iis, quæ ad caussam principalem pertinent, indicandum est, in quonam consistat punctus incidens, et quomodo decidi debeat (C. I. §. XII.).

§. VI.

Econtra si definitiue pronunciandum sit, præter historiam processus, referenda sunt argumenta pro utraque parte militantia eo ordine, ut enarretur 1) quæ actio sit instituta; 2) quæ reus negauerit, quasque 3) exceptiones ad differendam, aut perimendam item opposuerit; 4) an actor puncta a reo negata probauerit? et an 5) probatio reprobando elisa sit? sive reus condemnari, vel absolui debeat, idque vel pure, aut sub conditio-
ne præstiti iurisiurandi suppletorii, vel purgatorii (C. I. §. X. et XI.). Veluti:

Titius contra Meium actionem venditi instituit, petiitque, ut ad soluendos quindecim aureos, quos ei debeat pro equo vendito et tradito, cum interesse moræ et impensis, condemnatur. Reus in termino a iudice præfinito comparuit, et licet venditionem et traditionem equi confessus fuerit, tamen negauit, eos de pretio quinde-

quindecim aureorum conuenisse, obiecitque exceptionem 1) plus petitionis, cum pretium saltem fuerit duodecim aureorum, et 2) equi pituitos, ideoque contractus inualidi. Iudex, absolutis partium disputationibus, actori probationem iniunxit, reoque reprobationem referuauit. Finita vtriusque probatione iam ferenda est sententia definitiua. Circa formalia probationis et reprobationis nihil est, quod moneri possit, cum satis accurate obseruata sint. Igitur ad id respi-ciendum est, an actor probauerit? et an probatio reprobando elisa sit? Produxit actor tres testes, qui omnes tempore celebrati contraclusus praesentes fuerunt. Quorum duo, scilicet secundus et tertius, deposuerunt, consensisse vtrumque in pre-tium quindecim aureorum pro equo vendito. Tertius vero se non satis percepisse dixit, an quin-decim, an duodecim aureos soluere promiserit emtor, cum summæ vtriusque mentionem fieri audiuerit. Deinde actor duo documenta sub A et B exhibuit. In priore petiti reus quatuordecim dierum inducias ad soluendum quindecim aureos; in posteriore vero fassus fuit, sibi placere equum venditum. Prius reus iureiurando discessus fuit, sed posterius, saluis exceptionibus, recognouit. Reus produxit duos testes, quorum vterque adfirmauit, conuenisse contrahentes de pretio quindecim aureorum, licet emtor ab initio saltem duodecim aureos dare voluerit. Quod vero equus sit pituitosus, se certo quidem adseuerare non posse, iustum tamen vi-deri

deri pretium conuentum, cum equus satis robustus et aptus sit, ad perferendos labores agrestes. Præter testium depositiones, etiam exhibuit reus attestatum fabri ferrarii Vulcani, in quo equum pituita laborare perhibet. Licet itaque testes ab vtraque parte producili adserant, reum pro equo vendito quindecim aureos dare promisso, tamen reum præstito iureiurando purgatorio absoluendum, eique redhibitionem permittendam esse existimo. Nam pituita inter illa vicia refertur, quæ ad rescindendam venditionem sufficient. Quod vero equus fuerit mucosus, præter attestatum Vulcani, per duorum mangonum, Pauli et Petri, testimonium probatur. Quorum fides eo minus in dubium vocanda, cum ipse actor talem inspectionem rogauerit. Nec obstat, quod reus, in litteris sub B. productis, sibi placere equum adseruerit, cum vitium eo tempore illum latuisse adfirmet. Id quod inde etiam fit vero simile, quia emtori equum tali vitio laborantem placuisse plane non est opinabile. Et cum præterea mangones vitium verus esse perhibuerint, coniectura pro reo capienda est, quod iam tempore celebrati contractus adfuerit, illudque sciuenter venditor. Qua de causa sententiam absolucionis pro reo ferendam esse arbitror, si iureiurando se purget, quod tempore scriptarum litterarum nondum sciuenter equum pituita laborare; compensatis tamen impensis.

§. VII.

§. VII.

Quod si causa fuerit executiva, vel cambialis, facile absolvitur relatio. Dici enim saltem debet, an reus chirographum aut cambium ab auctore productum iurato diffessus fuerit, an vero illud recognoverit, opposueritque exceptiones in continentis liquidas, aut in altiori indagine consistentes, sive priore casu abstolendum, posteriore vero, reiectis exceptionibus ad reconuentioinem, condemnandus sit.

§. VIII.

In processu concursus creditorum referens ad id primario oculos flectere tenetur, an omnia rite sint obseruata, quae ad formam requiruntur. Quod si igitur aliquid deesse intelligit interlocutione supplendum, veluti citationem creditorum ignororum, aut constitutionem cursoris, ad hunc solum punctum dirigenda est relatio. Econtra si circa formam processus nihil moneri possit, id indicasse sufficit, et singulorum creditorum iura et prærogatiæ, quæque iisdem contradicunt, aut reliqui creditores opposuerunt, ita proponi debent, ut referens quoad singula puncta statim votum adiiciat. Quod secundum ordinem classium generalium fieri potest (C.I. §. XV.). Ni si in hoc vel illo collegio receptum sit, ut saltem ea proponantur, quæ dubia videntur referenti. Otiosa enim et frustranea est relatio ad illa, quæ certa et indubitate sunt, directa, maxime cum referenti cognitum esse debeat, ad quam classem

hoc

hoc casu singula credita pertineant. Quoniam vero contingere potest, ut faltem super puncto incidente sententia ferenda sit (C.I. §. XVI.), per se patet, ea tantum enarranda esse, quæ illum concernunt.

S. IX.

Quando remedium suspensuum contra sententiam interpositum est, ad id respici debet, 1) an fatalia rite obseruata sint, an non? Priore casu non opus est fatalium enarratione; posteriore vero casu referens caussas indicare tenetur, quare poenam desertionis locum habere, vel non habere existimet; 2) an remedium admissibile sit, vel non? vbi itidem argumenta pro admissibilitate, vel inadmissibilitate proferenda sunt; 3) an sententia sit interlocutoria, an vero definitiva? Si prius, sufficit si proponetur 1) quæ actio sit instituta; 2) breuis historia processus usque ad punctum decisum adiiciatur; 3) sententia prælegatur; 4) grauamina enarrantur, et quoad singula votum a referente adiiciatur (C.I. §. XIII.). Sin posterius, quidem methodo eadem procedendum est, ut tamen ad caussam principalem attendatur, et an actio probata sit plene, semiplene, aut minus quam semiplene; an vero reprobando elisa fuerit? indicetur, simulque effata testimoniis ab utraque parte productorum, documentorum contenta et exceptiones iisdem oppositæ in medium proferantur. Id quod commode secundum ordinem grauaminum fieri potest. Sed si faltem

saltem quoad quædam puncta sententia a viribus rei iudicatæ suspensa sit, quod plerumque in processu concursus, si sententia classificatoria lata, accidere solet; reliqua puncta silentio præteriri possunt, nisi forte pars aduersa remedio adhæserit, quippe quo casu eiusdem grauamina ordine eodem exponenda sunt (C. I. §. XIII.).

§. X.

Cum vero haud raro contingere soleat, ut plura adferantur grauamina, quæ ad vnum, vel pauciora reduci possunt; referentis est, ut numerum grauaminorum quidem indicet, sed simul eadem ad certa puncta reducat, et de singulis seorsim loquatur votumque adiiciat. Sed si contra sententiam eandem plures remediis suspensivis vñ sint, quod frequenter in processu concursus fieri solet, quodus remedium separatim referendum est, et grauamina methodo §. IX. præscripta indicanda sunt. Denique facile intelligitur, quod si non factum, sed ius controuersum sit, præter statum causæ, tantum a referente dicendum sit, an et ex quibus causis priorem sententiam vel confirmandam vel reformatam arbitretur (C. I. §. IX.). Vbi etiam semper de impensis retardati processus iudicium ferre debet, siue grauatum in eas condemnandum, siue easdem compensandas esse credat.

§. XI.

Quod si interuentio interposita, aut lis alterutri parti denunciata fuerit, vel etiam reus aucto-

auctorem suum laudauerit, referentis est, vt indicet, an interuentio accessoria, an vero principalis sit? an interueniens interesse suum demonstrauerit, an non? an et quare causa principalis suspendi debeat, donec interuentio principalis finita fuerit? an litis denunciatio locum habeat? an, nominato auctore, reus e litemittendus sit? Vbi rationes pro vtraque parte facientes adducere suamque sententiam dicere debet.

§. XII.

Sed si causa controversia rationum redditionem concernat, ita instituenda est relatio, vt singula monita cum responsionibus enarrentur, et quoad singula statim sententia dicatur. Quoniam vero multa sepiissime a calculo et iudicio cœconomorum, aut peritorum in arte dependent, commodissime rationum redditio per commissarios expediri potest, qui singulorum annorum rationes, quoad data et accepta, examinare debent. Quæ itaque per apochas aliae ratione in continent probari possunt, aut ab administratore pro defectibus liquidis agnoscuntur, vltiori decisione non indigent. Contra quæ calculum concernunt, aut ad peritiam œconomicam pertinent, a calculatoribus et cœnomis, iurisiurandi vinculo constrictis, decienda sunt. Quæ autem in iure consistunt, numeris distincta ita protocollo inferenda sunt, vt administrator, adlegatis iisdem numeris, ad singula

C

monita

monita respondeat eidemque, si mutuis positio-
nibus dimicandum, ultima positio, tanquam reo,
relinquenda sit.

§. XIII.

Quando igitur referens animaduertit, ra-
tiones valde intricatas et perplexas adeoque ne-
cessē esse, ut earum redditio per commissarios
expediatur, monitorum et responsionum ad ea-
dem datarum relatione supersedere, et saltem
dicere potest, quod rationes tam perplexæ et
intricatæ sint, ut, sine calculatorum auxilio et
œconomorum peritorum iudicio nihil certi defi-
niri possit, indeque commissarios esse constituendos
ad eas examinandas, ipsamque sententiam
ita concipiendam: *Dass vor allen Dingen ge-
wisse Commissarien zu verordnen, welche die Rech-
nungen von Iahre zu Iahre, auch Posten zu Po-
sten, durchgeben, dasienige, so auf baufswirth-
lichem Ermessen berubet, nach dem Gutachten
dreyer der Gegend kundiger und biezu verpflichteter
Hauffwirte, wovon jedem Teil einen zu be-
nennen nachzulassen, der dritte bergegen ex offi-
cio zu setzen, entscheiden, biernechst aber durch
zwey oder drey vereydete Calculatores einen rich-
tigen Calculum ziehen lassen, und die in die Rechte
einschlagende streitige Punkte unter gewissen Nu-
mern aussetzen. Worauf und wenn die Parteyen
darüber, mit Anziehung der Numern, ordent-
lich und kürtzlich verfahren, ferner ergehet was
Recht ist.*

§. XIV.

§. XIV.

Quod si deinde puncta reseruata deciden-
da sunt, referenti incumbit, ut 1) illa puncta,
super quibus definitiue pronunciandum, et reus
vel absoluendus vel condemnandus est, singula
separatim, addito statim voto, referat; 2) ea
puncta ordine eodem proponat, quæ interlocu-
tionem requirunt, et sententiam tamē esse posse
moneat: Dass Bekl. die wieder seine Administra-
tions Rechnung gezogene Defekte sub Num. 6. 8.
9. 10. und 12 zur Notdurft iustificiret. Dahin-
gegen derselbe die sub Num. 1. 2. 3. 4. 5. 7. und 11.
defectirte Posten, Einwendens obnächtet, an-
noch in Einnahme zu bringen schuldig, und wer-
den ihm die sub Num. 13. defectirte Gebüren vor
eine Reise nach Leucorea, außer denen Zerungs-
Kosten, so auf 6. Rthlr. 21. Gr. zu mässigen, in
Ausgabe nicht passiret. Würde nun derselbe die
sub Num. 14. und 15. erlangende Qvittungen von
Lucio und Auto, seinem Erbieten zu Folge, an-
noch beybringen, desgleichen, daß er von Titio,
Meuio und Gellio ein merers, als er in Einnahme
gebracht, nicht empfangen, vermittelst Eydes er-
halten, so hat er denen Defecten sub Num. 14. 15.
17. 18 und 19. hinlänglich abgeholzen. Im übri-
gen findet Kl. Suchen fol. 191. Vol. III. wegen Er-
setzung des durch die im Iabre 1748. erfolgte Was-
serflut an denen Wirtschafts Gebäuden verursach-
ten Schaden, keine stat. Er könnte und wolte dann,
dass solcher durch Bekl. Schuld, wegen verabsäum-
ter Besserung des Dammes, verursachet worden,

C 2

besser

besser als geschehen, erweisen, damit würde er
binnen vier Wochen, des Bekl. Gegenbeweß und
andere rechtliche Notdurft in ebenmäßiger Frist
vorbehältlich, annoch billig gehöret, und ergehet
so dann ferner was Recbt ist.

§. XV.

Quando reus negat, se ad rationum redditionem teneri, veluti si tutor, actione tutelæ directa pulsatus, illam sibi a patre pupillorum testamento remissam esse dicat, referentis est, ut indicet, an 1) pater eam testamento remiserit, eoque fine ipsa testamenti verba prælegat; 2) an pater iubere potuerit, ut tutor aneclogiflus sit, cum talis tutor nihilominus, si bonam fidem in administratione tutelæ non præstiterit, damnari debat, bona fides vero adparere nequeat, vbi, deficiente bonorum annotatione, sciri nequit, quid in pupilli patrimonio repertum fuerit; adeoque 3) an non tali testatoris remissione non obstante, recte ei iniungi possit, ut priuatam bonorum pupillarium designationem edat, et secundum eam rationes reddat.

§. XVI.

Idem obseruandum erit, si rationes subscriptæ et expunctæ retractentur, administrator vero ad noua monita respondere nolit. Tunc enim referens argumenta, quare administrator iustas non adesse existimet causas retractationis propone, simulque votum, an absoluendus, an condemnandus sit? adiucere tenetur.

§. XVII.

§. XVII.

In caussis criminalibus, si processus est inquisitorius, referens indicare debet, 1) quid iudicem ad inquirendum permouerit; 2) an corpus delicti seu veritas criminis commissi in apri-
cum posita fuerit, veluti in caussa homicidii, an
infans occisus repertus sit? an defunctus veneno
interierit? an in delictis facti transeuntis indicia
perpetrati criminis ad inquirendum sufficientia
adint? 3) quæ confessus, quæque inficiatus
sit inquisitus; 4) quid deposuerint testes ad eum-
dem vel conuincendum, vel liberandum; 5) an
inquisitus confrontatione cum testibus, aut so-
ciis criminis instituta, in negando perseuerar-
verit, aut quedam fassus fuerit? 6) quæ in de-
fensione vel pro innocentia demonstranda, vel
poena mitiganda attulerit (C. I. §. XVII.); 7) an et
ex quibus caussis reum vel absoluendum, vel
condemnandum, quaque poena adisciendum, aut
mediis, pro criminis atrocitate indiciorumque
grauitate definiendis, ad veritatem dicendam
cogendum esse existimet.

§. XVIII.

Si processus est accusatorius, referenti in-
cumbit, ut proponat 1) quale crimen imputetur
accusato, et qua poena eum plectendum esse pe-
tierit accusator; 2) quæ confessus sit quæque ne-
gauerit; 3) quas opposuerit exceptiones; 4) an
accusator probanda probauerit? 5) vel accusatus
probationes accusatoris reprobando eliserit; 6) an

G 3 deli-

delictum, veluti homicidium, fassus, sed exceptione homicidii casu commissi usus fuerit, atque fundamentum excipiendi probauerit, plene, vel minus plene, quod ex circumstantiis diudicare debet; 7) quæ ab accusatore et accusato adlata sint, et quidem eo ordine, ut primo loco illa, quæ accusator ad conuincendum vel gravandum accusatum adduxit, deinde vero ea, quæ accusatus vel ad amoliendam, vel ad mitigandam poenam pro se habere credidit; 8) quam sententiam ferendam accusatumque vel absoluendum, vel tormentis subiiciendum, vel, praestito iureiurando purgatorio solutisque impensis, dimitendum, vel poena ordinaria, aut extraordinaire adficiendum esse arbitretur (C. I. §. XVIII.).

§. XIX.

Quando inquisitus ulteriorem defensionem obtulit, aut accusatus remedio suspensiō contra sententiam usus est, referens singula momenta pro demonstranda innocentia, vel poena mitiganda adlata referre et an ad absolutionem, aut mitiorem poenam irrogandam sufficientē indicare debet (C. I. §. XIX.).

§. XX.

Cum vero quandoque in processu criminali etiam super punto incidente pronuncianendum sit (C. I. §. XX.), facile intelligitur, referentis esse, ut 1) cuius criminis quis reus postulatus; 2) quid haec tenus in causa actum; 3) in quo-

quoniam consistat punctus incidens, et 4) quomodo decidendus sit? proponat. Quod si reus defensionem pro auertenda inquisitione speciali exhibuerit, referendum est, quale sit 1) crimen imputatum; 2) quæ sint momenta defensionis et an crimen purgatum sit, nec ne; sive que priore casu ab inquisitione speciali liberari, posteriore vero eidem responsio ad articulos iniungi debeat? Potest etiam, præferrim si crimen non adeo graue sit, et tamen referens summariam cognitionem haud sufficere existimet, eo dirigi relatio, ut reus ad articulos responderet iubatur, nisi statim se ab indicii iureiurando purgare velit, quod plerumque clero adhibito fieri debet.

§. XXI.

Sequitur relatio scripta, quæ in communem et solemnem diuiditur.

§. XXII.

Communis in multis iudiciis usitata est, præfertim vbi receptum, ut acta, cum relatione et voto, ad singulos mitti debeant. Non vero differt ab orali, nisi in eo, quod referens illa, quæ orerentur proponere debuisset, iusto ordine libello complectatur et formulam sententiae adiiciat (§. VI. XIII. et XIV.). In quibusdam quoque iudiciis moris est, ut vel extractus actorum relationi præmittatur (C. II. §. IV.), rationesque dubitandi et decidendi voto adiificantur (Manud. ad Proc. iud.

p. 267. seq.), vel solæ rationes, cum voto et formula sententiae, sufficiant.

§. XXIII.

Relatio solemnis in iudiciis Imperii aliisque tunc imprimis fieri solet, si in causa definitiue pronunciandum est. Quod si enim de punto incidente sub iudice lis sit, operosa relatio non requiritur, sed sufficit, si methodo, §. XXII. tradita, elaboretur.

§. XXIV.

Quando itaque causa satis instructa est, ut sententia definitiua ferri possit, ad omnia, quæ in actis occurunt, dirigitur relatio, et an legibus conueniant, et ubique obseruata sint ea, quæ ad essentiam et formam processus requiruntur, follicite indagatur, sive causa non tam eo ordine, quo agitata, sed potius quo agitari debuisset, proponitur.

§. XXV.

Hinc 1) species facti seu causæ, super qua sententia ferri debet, breuiter et perspicue ex actis, et præcipue conclusione libelli, extrahenda; 2) historia totius processus, allegatis numeris vel foliis actorum, enarranda est. Quod utrumque status causæ nomine venire solet. 3) Quænam actio instituta sit? et an ex facto controverso plures actiones elici possint actorque eam elegerit,

rit, quam eligere debuisset, indagatur. Quod vero tunc demum locum habere potest, si libello clare expresserit, quam actionem instituere vellet. Sic qui actione conducti contra cauponem vel nautam experitur, quem actione de recepto pulsare potuisset, imprudenter agit, quia locator tantum de leui culpa tenetur, quæ ab actorre probanda est; et contra caupo vel nauta ad culpam levissimam præstandam obligatur, ideoque omne damnum resarcire debet, nisi illud casu datum esse probare possit. Quod si autem in libello certa actio non sit expressa, aut exinde elici nequeat, illa eligenda erit, quæ narratis libelli conuenientior actorique utilior est. Veluti si dubium sit, an rei vindicatione, an publiciana agere voluerit, hanc instituisse censeri debet, quia facilioris probationis est.

§. XXVI.

Deinde 4) examinari debet, qualis processus institutus fit? Quod tamen referens rite dijudicare nequit, nisi cognitum perspectumque habeat, quæ causæ processu ordinario, quæque summario, eoque vel in specie tali, vel executio, reali aut personali, explicandæ sint. Hoc autem probe cognito, facile decidere poterit, an eo processus genere causa agitata sit, quo agi debuisset, et an vbiique forma processus rite obseruata fuerit?

C 5

§. XXVII.

§. XXVII.

Porro 5) perpendendum est, an iurisdictio iudicis fundata sit, sive intuitu primæ, sive secundæ instantiæ, sive etiam causæ. Actor enim sequi debet forum rei. Quod si tamen reus, a iudice incompetente in ius vocatus, paruerit citationi et exceptionem iudicis incompetentis non opposuerit fundata erit iurisdictio, nisi causa in item deducta plane a cognitione iudicis exenta sit, quippe quo casu, quod egit, nullum est. Veluti si iudex secularis in causa matrimoniali, aliaue ecclesiastica cognouerit.

§. XXVIII.

Quoniam vero 6) legitimatio partium ad substantiam iudicii pertinet, referentis est, ut ad eam oculos flectat. Hinc si quis egit tanquam heres, aut cessionarius, docere debet, se esse heredem, sibique ius cessum. Quam legitimationem ad causam dicunt. Qui non suo, sed alieno nomine, experitur ad iudicium seu processum se legitimare debet. Sic procurator mandatum, tutor tutorum, curator curatorium, actor actiorum, syndicus syndicatum producere debet. Quæ omnia an recte se habeant, nihilque circa formam desideretur, referens sub examen vocare, simulque ad id respicere tenetur, an forte principalis gesta defensoris ratihabuerit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Perpensa itaque partium legitimatione perpendisque etiam reliquis exceptionibus dilatoriis et litis contestatione examinata, 7) indagandum est, an actio sit probata, plene, semiplene, vel minus quam semiplene. Vbi referentis est, ut formet statum controvenerit indicetque perspicue, quæ puncta a reo negata ab auctoreque probanda fuerint, deinde vero sollicite inuestiget, quibus mediis probandi usus sit actor? An testes sint omni exceptione maiores, nec ne? Quæ vis probandi insit documentis? Quod si autem non actori, sed reo iniuncta fuit probatio, veluti si adfirmatue litem contestatus sit opposueritque exceptiones ad litem perimendam, aut actor negatoriam actionem instituerit, facile est ad intellegendum, methodo eadem rei probationem exanimi esse subiiciendam.

§. XXX.

Quo examine finito 8) peruestigari debet, an actio reprobando elisa fuerit? Cum vero illa vel directo contraria sit, vel probationem exceptionum peremtoriarum contineat, priore casu curate peniculandum, an actor, an vero reus firmiores et meliores probationes pro se habeat? an vero sint æquales, quippe quo casu pro reo, cuius partes sunt fauorabiliores, pronunciandum est. Posteriore casu considerandum, an exceptiones habeant in se vim remouendi actionem et plene probatae sint, siveque actio ab auctore probata

bata per exceptiones rei elisa fuerit. Sed si reus probationem et actor reprobationem suscepere, eodem ordine procedi debeat, ut scilicet primo indagetur, an reus fundamentum excipiendi probauerit, et deinde perpendatur, an actor illud per probationem replicae eliserit?

§. XXXI.

Denique 9) referenti incumbit, ut ostendat, quid de fructibus, damnis, usuris et expensis iudicandum sit? an reus omnes fructus restituere debeat, perceptos et percipiendos? an saltem perceptos, aut extantes, nondum usucaptos? Quod exinde facile cognoscere potest, si, secundum acta et probata, inuestiget, an boni fides pro eo militet, an vero mala fides ipsi tribuenda sit? Si de damnis resarcendis queritur, perpendendum est, an culpa reo imputari possit? et quæ, secundum naturam negotii in item deduci, praestanda sit? Quoad usuras inter promissas, et ex mora, vel lege debitas distinguendum et ad morem regionis, an tantum quincunces, an vero semisses licite sint? respiciendum est. Quod ad expensas attinet, vicius quidem victori condemnatur in expensas, non autem propter victoriam, sed temeritatem. Inde si vicius probabiles causas pro se habeat, expensæ compensandæ sunt. Quod tamen ad expensas consumaciac non pertinet, quippe quas semper consumax refundere tenetur, siue in causa principali vicerit, siue vicius sit.

§. XXXII.

§. XXXII.

Tandem 10) dicat referens, quid in causa pronunciandum et quomodo sententia concipienda sit. Vbi rationes dubitandi et decidendi praemittere et deinde ipsam sententiam adiicere tenetur.

§. XXXIII.

Relationes hac methodo elaboratae pro statu vocari solent, quia ab iis exiguntur, qui in Imperii principumque dicasteriis ad consiliariorum aut assessorum dignitatem adspirant. Liceat negandum non sit, plerasque relationes camerales, typis euulgatas, tanta prolixitate scriptas totque tricis implicatas esse, ut sine rædio legi non possint ab iis, qui concinnam breuitatem et perspicuitatem amant, otiosa vero et superflua fastidiunt. Quid enim, quæso, opus est, verbosa enarratione eorum, quæ ad naturam cuiusvis actionis pertinent, si certum euicatumque sit, quam actionem instituerit actor? Breuibus indicasse sufficit, an meliorem finique suo consuetudinem eligere potuisse? Et si non dixerit, qua actione experiri velit, ea tamen ex narratis elicere possit, aut ipsi utilior præsumenda sit (§. XXV.), horum omnium prolixa enarratio plane otiosa et frustranea est. Idem de competentia fori, partium legitimatione reliquisque capitibus dicendum est. Cui enim usui mira amplitudine recensentur, quæ nihil ad decisionem causæ faciunt, sed docent litigantes, quid facere debuissent? Qui tamen inde profi-

proficere nequeunt, quia copiam relationis habere non possunt. Ceterum ineptiunt omnino, qui relationes amplio præfamine exornant, vel singula capita ex historia Romana, aut Græcis et Romanis antiquitatibus illustrant, vel alias artes triuiales sectantur.

§. XXXIV.

Optima methodus conficiendi relationes præscripta est in CODICE FRIDERICIANO P. III. T. 36. §. 2. vt scilicet 1) dilucida facti species præmittatur; 2) genus actionis perspicue exprimatur; 3) rationes dubitandi et decidendi adiiciantur; 4) dubia resoluantur, et 5) votum, cum formula totius sententiae, subiiciatur. Inter ea facile intelligitur, non semper eundem ordinem seruari posse in concipiendis relationibus, sed ad teriem actorum ipsamque caussam controversam respiciendum esse. Sic si quæstio iuris decidenda est, ridiculum esset disquirere, an actio probata, aut reprobando elisa sit? Potius argumenta pro utroque litigante facientia eo ordine, qui in elaborandis rationibus obseruatur, ita enarranda sunt, vt rationes decidendi illam sententiam contineant, quam referens veriorem esse existimat. Si iudicio dupli actum sit, contingere potest, vt, licet actor renunciauerit probationi, aut eam deseruerit, tamen reus reprobationem suscepere. Hinc referens de sola reprobatione sollicitus esse debet. Sæpe etiam occurunt in actis puncta incidentia ad sententiam defi-

definitiuam reiecta (C. I. §. XII.). Quæ refens, absoluta relatione in causa principali, singula recensere eorumque fundamenta et quomodo decidenda sint, indicare debet. Varietas itaque circumstantiarum variat relationes, ut impossibile sit, tales formulas prescribere, quæ non in uno alteroque capite quandoque mutationem requirerent. Interea sequens exemplum dabo:

Relatio ex actis in causa Titii contra Meium in punto venditi.

S T A T U S C A V S S A E.

In actis mihi ad referendum traditis Titius fol. 1. contra Meium ideo actionem venditi instituit, quod ei equum album pro pretio quindecim aureorum vendiderit, cum vero, traditione secuta, pretium conuentum consequi nequeat, petit, vt reus ad eius solutionem, cum interesse moræ et impensis, condemnetur. Iudex reo fol. 4. libellum transmisit eique diem dixit, ad tentandam amicabilem compositionem et eventualiter ad respondendum libello. Frustra fol. 5. tentata concordia, reus fol. 7. seq. pure litem contestatus fuit, et licet traditionem equi affirmauerit, tamen negavit, pretium esse quindecim aureorum, opposuitque, pro perimenda lite, exceptionem pluris petitionis et equi pituitosi. Postquam actor fol. 10. seq. replicando et reus fol. 20. seq. duplicando sententiæ submiserunt, iudex fol. 29. præfiniuit terminum ad publicandum decretum, in eoque fol. 29. actori probationem

tionem iniunxit, salua rei reprobatione. Fol. 31. actor obtulit articulos reprobatorios et tres testes denominauit adiecitque documenta sub A. et B. atque simul petiit, ut equus inspiciatur per duos in arte peritos. Productione testium in termino a iudice præfixo fol. 41. facta iisque fol. 44. ad articulos et interrogatoria rei examinatis, et inspectione equi a duobus mangonibus, Petro et Paulo, peracta, reus quidem documentum sub B, saluis exceptionibus, recognouit, et iudex super recognitione fol. 47. pronunciauit, sed documentum sub A. fol. 50. iurato diffessus fuit. Actor fol. 51. petiit publicationem rotuli, ad quam peragendam iudex terminum præstituit; reus vero, protestatione fol. 52 contra publicationem interposita, obtulit intra fatale a iudice indultum, articulos reprobatoriales, duosque denominauit testes addiditque attestatum fabri ferrarii sub C. Iudex fol. 55. et 56. diem dixit, ad recognoscendum documentum et producendum testes. Fol. 58. actor documentum sub C, saluis exceptionibus, recognouit, iudex autem, examinatis testibus, fol. 60. super recognitione documenti cognovit, et actore fol. 65. publicationem rotulorum rongante, in termino fol. 67. præfixo, eosdem fol. 68. publicauit. Fol. 69. seq. actor deductionem obtulit, fol. 110. seq. reus deductionem contrariam exhibuit, eoque facto, in termino hoc fine fol. 122. constituto, in rotulatio actorum fol. 124. secura fuit. Cum itaque super probatione, et reprobatione pronunciari debeat, queritur?

I. QVAE

I. QVAE ACTIO INSTITUTA SIT?

Patet vero ex ipso libello, actorem reo equum album vendidisse et tradidisse. Cum itaque a sua parte satisfecerit contractui, et equum tradiderit emtori, consequitur, ut nulla alia actione, quam venditi, ad pretium soluendum, experiri potuerit, nec ei metuenda fuerit exceptio non ad impleti contractus. Quoniam vero pro regula semper presumendum est, facile erit decisio quæstionis

II. QVO PROCESSVS GENERE CAUSSA ACTA SIT?

Nam actiones, quæ ex contractu nascuntur, ordinario processu agi, omniaque rite obseruari debent, quæ ad eius formam requiruntur, quippe a qua nec iudex, nec alteruter litigantium, inuito altero, recedere et, loco processus ordinarii, summarium eligere potest. Et hunc etiam ordinem tam a iudice, quam partibus vbiique seruatum fuisse, ipsa acta loquuntur. Quia de caussa ad quæstionem

III. AN IURISDICTIO SIT FUNDATA?

progredior, eamque extra omnem dubitationis aleam positam esse existimo. Cum enim venditorem ex contractu actione personali agere forumque rei sequi oportuerit, consequens est, ut emtorem apud alium, quam domiciliij iudicem, actione pulsare non potuerit. Quoniam vero legitimatio partium sit de substantia iudicii, indeque quæri soleat

IV. AN RITE FACTA SIT?

Indagandum videtur, num procuratoria recte se

D habeant

habéant, aut, si desint, formaque a lege præscripta neglecta fuerit, legitimatio, cum ratihabitione retro actorum, adhuc iniungenda sit defensoribus. Sed hac opera ideo supersedere possum, quia ipsi litigantes, cum aduocatis, in quolibet termino præsentes fuerunt, lege prouinciali autem cautum non est, vt partes eo casu procuratores constituerent teneantur. Reliquæ exceptiones dilatoriaæ cesserant, quia reus pure litem contestatus fuit. Quare ad id oculos flecli oportet,

V. AN ACTIO PROBATA SIT?

Petit nimirum actor a reo pretium quindecim aureorum pro equo vendito et tradito. Reus ventionem et traditionem equi confessus fuit, et saltem negavit, eos conuenisse de pretio quindecim aureorum, cum saltem duodecim promiserit. Cuius probatio itaque actori a iudice iniuncta fuit. Quam etiam per tres testes et documenta suscepit, et cum formalia vbique rite obseruauerit, in id inquirendum est, quid testes deposuerint? Adfirmarunt vero testis 1. et 2. ad art. 5. fol. 75. se audiuisse ex ore rei, quod consenserit in pretium quindecim aureorum, licet ab initio saltem duodecim soluere voluerit. Idemque ipsi testes probatoriales 1. et 2. ad art. 2. et 3. fol. 84. confessi sunt. Ut itaque certissimum sit, auctorem plene probasse fundamentum actionis a reo negatum. Licet testis probatorialis I. adserat ad art. 5. se non satis percepisse, an de pretio quindecim, aut duodecim aureorum conuenerint, cum summæ vtriusque mentionem fieri audiuierit, et præterea reus docu-

documentum ab actore sub A. productum, per quod probare voluit, reum in scriptis petiisse quatuordecim dierum inducias ad soluendum debitum quindecim aureorum, iurato disfessus fuerit; tamen inde nihil plane decedit probationi actoris, quia depositio testis primi effatis reliquorum testimoniis non contrariatur, et disfessio documenti sub A. saltem facit, ut per illud nihil probatum sit. Hinc inuestigandum erit

VI. AN ACTIO REPROBANDO ELISA SIT?
 Cum reus negauerit, pretium fuisse quindecim aureorum, seque tantum duodecim aureos pro equo vendito dare promisisse, huius asserti probationem in se suscepit eoque fine duos testes produxit. Sed, cum vterque testis ad art. 2. et 3. fol. 84. adfirmauerit, consensisse contrahentes in pretium quindecim aureorum consequitur, ut actionem ab actore probatam contraria probatione non eliserit. Igitur perpendendum est, an exceptiones ad item perimendam oppositas probauerit? Quod ad primam, scilicet pluris petitionis, attinet, ea per se corruit, postquam fundamentum actionis probatum fuit. Alteram vero actor per probationem replicae elidere annis fuit, eaque de causa 1) litteras rei sub B. produxit, in quibus fassus est, sibi placere equum venditum; 2) negauit illum esse pittuitosum, et, si etiam tali vitio laboret, tamen pretium esse iustum, ideoque rogauit iudicem, ut fieri iubeat, inspectionem equi per duos in arte peritos. Documentum sub B. quidem recognouit reus, sed reposuit, se tempore scriptarum litterarum

D 2 non-

nondum sciuisse vitium equi. Quod etiam omnino vero simile, quia credi nequit, emtori placuisse equum vitiosum. Interea, cum aliqua inde suspicio aduersus reum nascatur, iureiurando purgatorio opus erit, ad illam elidendam. Tametsi vero testes a reo produci ad art. 4. et 5. equum pituitosum esse, adfirmare non potuerint, et ad Int. 1. et 2. pretium pro iusto habuerint, si etiam pituita laboret, attestatumque fabri ferrarii Vulcani sub Ⓛ. iniuratum sit; tamen fundamentum exceptionis plene probatum esse inde consequtitur, quia mangones, Petrus et Paulus, equum pituita laborare vitiumque vetus esse adleruerunt, nec actor quicquam contra eorum fidem et peritiam adferre potuit, quam potius eo ipso probavit, dum a iudice petiit, ut inspectionem equi per duos in arte peritos fieri iubeat, horumque electionem arbitrio iudicis permisit. Et cum peritiam artis profiteatur Vulcanus, eius attestatum, licet iniuratum, eo minus vi probandi destituitur, quod testimonio mangonum confirmetur. Qua de causa reo redhibitionem equi concedendam esse existimo, cum pituita inter illa vitia referatur, ob quae illa fieri potest. Denique in id inquirendum erit, quid

VII. DE IMPENSIS SENTIENDVM SIT?

Sed has ideo compensandas esse arbitror, quia 1) actor probauit fundamentum actionis a reo negatum; 2) ipsi testes reprobatoriales pretium non iniquum esse crediderunt, licet equus mucosus sit; 3) ex litteris rei, quibus sibi placere equum venditum

venditum confessus fuit, aliqua suspicio nascitur,
quod vitium equi sciuerit, a qua se iureiurando
purgare tenetur.

Quamvis itaque 1) testes ab vtraque parte
producli afferant, reum pro equo vendito quin-
decim aureos soluere promisisse, sicque actor fun-
damentum actionis plene probauerit; Deinde
2) exceptio equi pituita laborantis per confessio-
nem rei, quod ipsi placeat equus, elisa videatur;
maxime cum 3) tale vitium non plane impedit
vsum equi, ipsique 4) testes reprobatoriales ad
Int. I. art. 4. et. 5. deposuerint, non iniquum videri
preium, si etiam tali vitio laboret, rationemque
addiderint Int. 2. quod satis robustus sit, ad perfe-
rendos labores agrestes; Præterea 5) mangones,
Petrus et Paulus, non fuerint iurisiurandi vinculo
constricli, ideoque videri possit, eorum testimonio
non maiorem fidem habendam, esse quam attestato
iniurato fabri ferrarii Vulcani, sicque reum non satis
probasse fundamentum exceptionis suæ, indeque
eum condemnandum esse ad soluendum preium
conventum, cum vñbris et impensis; Denique
6) pituita non vbiique locorum inter illa vitia refe-
ratur, ob quæ venditio equi rescindi possit, eaque
de caussa reum a contractu resiliere non posse, si et-
iam equum pituitosum esse probatum fuerit;

Verum enim vero cum 1) ipse actor rogaue-
rit iudicem, vt per duos in arte peritos inspec-
tionem equi fieri iubeat, hic autem elegerit mang-
ones, Petrum et Paulum, contra quorum peritiam
et fidem actor nihil reposuit, nec postulauit, vt

D 3 ante

54 CAPVT III. DE RELATIONE

ante inspectionem iurisiurandi vinculo constrin-
gantur, aut, ea iam facta, relationem iureiurando
confirment, siveque eo ipso illorum fidem proba-
verit; Deinde 2) fabri ferrarii Vulcani attestato
ideo omnis vis probandi detrahi nequeat, quia
cum effatis mangonum conspirat, siveque trium
peritorum in arte testimonium, licet iureiurando
roboratum non sit, omnino probationem plenam
efficere debeat, maxime, cum actor nec Vulcani
peritiam in dubium vocauerit, nec vitium equi
prorsus negauerit; Et licet 3) reus in codicillis ad
actorem scriptis sibi placere equum adseruerit, ta-
men inde concludi non possit, quod eo tempore
iam sciuerit vitium equi, quin potius plane non sit
opinabile, placuisse illi equum tali vitio laborantem,
in primis cum 4) mangones illud vetus esse perhi-
buerint, adeoque pro reo capienda sit conjectura,
quod vitium iam adfuerit tempore initi contractus
illudque non ignorauerit actor; Præterea 5) pitui-
ta omnino inter illa vitia referenda sit, quæ suffi-
ciunt, ad equum venditum redhibendum; eaque
de causa 6) reo omnino redhibitio equi permitti
debeat, modo iuret, sibi tempore exaratæ episto-
lae vitium equi ignotum fuisse. Ceterum 7) impen-
se ideo compensandæ sunt, quod non solum actor
probabilitatem aliquam pro se habeat, sed etiam
iureiurando necessario lis decidenda sit, Quibus
omnibus non obstant dubia supra prolata, Nam
1) nihil actori proficit, quod fundamentum actio-
nis probauerit, postquam illud per exceptionem
a reo probatam elisum fuit; 2) confessio rei in lic-
teris

teris facta saltem suspicionem contra eum excitat, iure iurando remouendam; Et licet forte 3) pituita vñum equi non plane impedit, tamen sufficit, quod ob tale vitium redhibitione fieri queat; inde que 4) iudicium testium reprobatorialium, quod pretium non iniquum videatur, si etiam equus tali vitio labore, redhibitionem impedire nequit; Nec 5) fidem trium peritorum in arte perimit, quod haud sint iurati, cum actor duorum mangonum fidem probauerit et vitium equi insciari non potuerit, imo, si etiam aliquid deesset probationi, nihilominus tamen iuriurando suppletorio locus esse deberet, quod vero iam virtualiter purgatorio a reo præstanto continetur; Denique 6) extra Saxoniam vbiique fere locorum inter vitia, quæ redhibitionem pariunt, pituita refertur. Qua de causa sententiam ita concipiendo esse existimo :

Auf Klage, Antwort, gefürten Beweiss und Gegenbeweiss, auch erfolgte Sätze in Sachen Titii Klägers, Producentens und Reproductens an einem, Meuii Bekl. Productens und Reproducentens am andern Teil, erkennen — — nach fleißiger Verleß und Erweigung der Aalen, vor Recht:

Würde Bekl. sich vermittelst Eydes reinigen,
und daß ihm zu der Zeit, als er den von Klä-
gern sub A. producirten Brief, an denselben
abgeschickt und darin gemeldet, daß ihm
das verkaufte Pferd gefiele, noch nicht ge-
wußt, daß es mit dem Rotz behaf tet sey, sun-
dern solches erst nachher entdecket habe,

schweren, so wäre Kl. sotanes Pferd hinwieder zurück zu nemen schuldig. Die auf diesen Proceß verwandte Vnkosten aber werden, aus dazu bewegenden Vrsachen, gegen einander verglichen und aufgegeben. V. R. W.

§. XXXV.

Sed si remedium suspensuum contra sententiam definitiuam interpositum fuit (§. IX.), eo ordine concipienda est relatio, vt 1) præmittatur status caußæ, (§. XXV.) 2) eruatur genus actionis (c. §. XXV.); 3) ostendatur, quid haec tenus in caußâ pronunciatum sit, ipsaque sententia adiiciatur, contra quam pars vtraque, vel alterutra remedio suspensiō vſa est; 4) Ostendatur, an remedium sit admissibile (§. IX. 2.) et 5) formalia recte se habeant (§. IX. 1.); 6) an tota sententia, aut saltem quædam eius pars a viribus rei iudicatae suspensa sit (§. IX.)? 7) exponantur grauamina, et quoad singula indicetur, quæ pro grauato faciunt, quæque contra eum militant (§. IX. X.); 8) præmissis rationibus dubitandi, adserantur argumenta, quibus mouetur referens ad sententiam confirmandam, vel reformandam; Eodem ordine procedatur, si 9) quoad quædam grauamina confirmari, quod reliqua vero reformari debeat; Nisi saltem 10) declaratio videatur necessaria, quippe quo casu rationibus decidendi caußæ adiiciendæ sunt, quæ illam requirunt, veluti vt fideiūſſor quidem ad soluendum condemnetur, sed creditor ei iura sua aduersus reum principalem cedere teneatur; 11) dicatur de impensis, an compensandæ sint, nec ne (§. X.); Denique 12) subiiciatur formula sententiæ.

§. XXXVI.

In caußis executiuis et cambialibus rarius in scriptis fieri solet relatio. Et si etiam exigatur, nullis ambagibus opus erit, sed sufficit, si referens illam eo ordine libello complectatur, quem in oralī §. VII. requisiti.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Quando aetate concursus in scriptis referenda sunt,
 1) exponi debent causae, quae mouerunt iudicem, ad
 aperiendum processum; 2) examinandum est, an ubi-
 que forma, a lege praescripta, obseruata sit? Quod si
 enim circa eam aliquid deficiat, veluti si creditores
 ignoti editio nondum sint vocati, ad hunc solum
 punctum dirigenda erit relatio. E contra, si nihil sup-
 plendum sit, indagetur; 3) quid quoad impensas, to-
 tum concursum concernentes, pronunciari debeat?
 (*Manud. ad Proc. iudic. p. 575.*) 4) an adsint, qui vel
 inter creditores non pertinent (*I. c. p. 565.*) vel ius
 separationis pro se adlegant, vbi, præmissis rationibus
 dubitandi, sequuntur rationes decidendi, cum voto.
 Deinde 5) quoad singulos creditores proponi deberet,
 an a) eorum legitimatio rite facta sit? b) quae sint illo-
 rum credita, quæque iis iura et prærogatiæ compe-
 tant? c) an usuræ peti queant, et, si debeantur, an
 quincunes, an vero semisses adiudicande? d) Quot
 annorum usuræ in eadem cum forte classe locandæ
 sint? e) quas exceptiones contradictor, vel reliqui
 creditores opposuerint? f) quæ dubia intuitu priori-
 tatis mota fuerint? et g) ad quam classem singuli
 pertineant et quo ordine locandi sint. Id quod com-
 mode secundum seriem classium generalium ita fieri
 potest, ut numeris inuicem distinguantur, et ubique
 folia numeriæ actorum vel voluminum adlegentur.

§. XXXVIII.

In causis rationum redditionem concernentibus
 is ordo seruari potest, ut indicetur 1) quales sint ra-
 tiones et quot annorum; 2) proponantur illi articuli,
 qui pro iustificatis habendi; vel adhuc in rationes
 referendi sunt; 3) enarrentur illa capita, quæ inter-
 locutionem requirunt, adiectis quoad singulos arti-
 culos et capita rationibus dubitandi et decidendi, cum
 formula sententiæ (*§. XII. XIII.*).

D 5

§. XXXIX.

§. XXXIX.

In caussis criminalibus, si processus est inquisitorius (C. I. §. XVII.), ita procedi debet, ut præmittatur status caussæ, sive ostendatur, 1) quodnam sit delictum, quidque iudicem mouerit, ad inquirendum, et quæ hæc tenus in caussa acta sint; 2) an forte circa competentiam iudicis vel constitutionem iudicij criminalis aliquid monendum sit? 3) peruestigetur corpus delicti (c. §. XVII. 2.); 4) perpendatur, an forma processus ubique rite obseruata fuerit, an vero aliquid suppleri debeat, veluti si testes non iurato deposuerint, aut confrontatio neglecta sit, et tamen necessaria videatur (c. §. XVII. 5.); 5) proponatur, quæ reus confessus quæque inficiatus fuerit, eten 6, quoad negata coniunctus sit, nec ne? 7) adferantur, quæ pro reo et contra eumdem militant (c. §. XVII. 6.); Et, cum 8) vel absoluendus, vel condemnandus, vel etiam medium eruendi veritatem necessarium sit, referentis 9) erit, ut rationes adducat, quæ aduersantur sententiæ, quam ferendum esse existimat; deinde 10) rationes, quas ad illam fulciendam facere arbitratur, cum ipsa formula sententiæ, adiiciat, atque concinnæ breuitati et perspicuitati studeat, tædiosam vero et otiosam prolixitatem fugiat. Quod si processus fuerit accusatorius, eodem fere ordine procedendum est, qui in caussis ciuilibus seruatur (§. XVIII.).

§. XL.

Denique, cum in multis iudiciis receptum sit, ut correferens constituatur, facile intelligitur, huius esse, ut pari cum referente industria et patientia acta perlegat, et quando relatio est oralis, moneat, si in referendo circa factum aliquid omissum esse, vel illud, quoad certas circumstantias, aliter se habere credat. E contra si nihil monendum sit, noua relatione opus non erit, nisi mos iudiciorum aliud ferat, sed sufficit, si correferens binis verbis, vel per vocem placet consensum suum declareret (Recess Imp. d. a. c. I o o C L I V. §. 148.). Si vero correlatio in scriptis conficienda est, omnia illa obseruanda sunt, quæ in elaboranda relatione

CAPVT IV. DE DECRET. CONCIP. 59

tione requisiuiimus. Absoluta denique relatione et correlatione, vota maiora concludunt.

C A P V T I V .
DE
DECRETIS CONCIPIENDIS.

§. I.

Quod iudex ad vnius preces iussit vetuitue, decreti nomine venire solet, *eine Resolution, Verordnung*. Preces vero vel ore, vel in scriptis fiunt. Priore casu decretum in protocollo refertur, posteriore libello supplici inscribitur.

§. II.

Talia decreta simplicia, quia, caussa non plene cognita, nec altera parte audita emituntur, in rem iudicatam haud transeunt, sed, si iusta adferantur caussæ, contrario imperio tolli possunt.

§. III.

Nulla tamen relatione opus est, si a solo iudicis arbitrio dependet, an precibus locum dare velit, nec ne. Sed, si decretum secundum vota maiora concipiendum est, vel ordo in referendo receptus sernatur, vel, quod frequentius esse solet, præsidi permittitur, cui ex collegi libellum tradere velit, ad relationem faciendam. Nisi caussa principalis iam in iudicium deducta sit, Tunc enim in plerisque iudiciis receptum est, ut singulæ caussæ suos habeant referentes, qui, cum sciant feriem processus totiusque caussæ merita, facilius et re-
tius, quam reliqui collegæ, arbitrari possunt, an con-
cedendum, an autem denegandum sit id, quod petitur.

§. IV.

Quoniam vero perenti incumbit, ut caussas et ar-
gumenta perspicue exponat, quibus iudicem moueri posse existimat, ad dandum decretum precibus consen-
taneum, non difficilis erit relatio. Nam, cum referenti cognitum perspectumque esse debeat, quid legibus fanicatum sit, 1) casum, seu factum; 2) argumenta in li-
bello supplici adlata proponere et 3) rationes, quare
peti-

60 CAPVT IV. DE DECRET. CONCIP.

petitum vel admittendum, vel reiiciendum arbitretur,
proferre tenetur.

§. V.

Quod si igitur iurisdictionem in hac causa vel place non, vel nondum fundatam esse, vel etiam preces manifesto legibus repugnare animaduertat, veluti si quis arrestum aut sequestrum petierit, et tamen iustas causas non probauerit, decretum, quod vocant, reiectionis dari debet. Quod etiam quandoque sub conditione, nisi iustitiam precium demonstret, fieri potest. Veluti in prouocatione ex lege diffamari, non demonstrata diffamatione, quippe quo casu decernitur, daß Provocantens Suchen, angebrachter massen, nicht statt hat; Würde aber derselbe die angegebene Diffamation gebürend bescheinigen, ergebet der gebetenen Ladung halber an den Provocaten ferner was Recht ist.

§. VI.


Quando tale quid rogatur, quod pro re nata concessio non debet, nisi causa cognita et audita altera parte, veluti mandatum cum clausula, vel sine clausula, preces vel statim reiiciuntur, vel terminus audientiae praefigitur, vel etiam reus iubetur, ut intra certum spatium respondeat libello, ipsi hoc sine transmissio. Imo si etiam supplicans obtinuerit mandatum, veluti de soluendo, vel non amplius turbando, reus vero deinde debitum, aut turbationem neget, vel sibi non deesse exceptiones ad litem perimendam vrgeat, mandatum tolli, et vel terminus audientiae praefigi, vel reo responsio iniungi debet.

§. VII.

Denique preces quandoque ita comparatae sunt, ut nullo decreto opus sit, veluti si quis citationem iam emissam petat. Quo casu saltem inscribitur libello: ad Acta, vel etiam, sine inscriptione, ad Acta ponitur. Interdum etiam libellus per decretum plane ab actis reiicitur, veluti si quis, post conclusionem in causa, novam positionem obtulerit. Nisi referens, ex iustis causis, conclusionem rescindendam aduerfaque partis responsionem imponendam esse existimet.



No 1837 q
S




CAROLI GOTTLIEB KNORRI

ICTRI

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A
CONSILIIS INTIMIS, REGIAE FRIDERICIANAE
DIRECTORIS ET FACVLATATIS IVRIDICAE
ORDINARII

ELEMENTA ARTIS RELATORIAE

IN VSVM
AUDITORVM
EVVLGATA.



HALAE SALICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERIGI
M D C C L I I

11.4.06.

